

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Ducatus Brunsvicensis

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Ducatus Brunsvicensis.

418

Regio & unde
dicta.

Situs.
Imperium majo-
rum.

Urbes.

Ducatus Brunsvicensis ab urbe primaria Brunsvico nomen sibi sumpsit. Vrbs autem ipsa a Brunone Ludolphi Ducis Saxoniae Filio nomen appellationemque fortita est. Is enim quem inchoaverat vico nomē reliquit, qui ab illo dictus est *Brunonis* vicus seu potius sinus, qui lingua Saxonica vocatur *Wyck*: nunc *Brunsvicum* sive *Brunswych* dicitur. Est autem *Brunsvicensis* ditio amplissima a Magdeburgensis & Halberstadiensis Diocesis finibus, & ab Hercynia silva, ad Albim usque pertinens. Circa annum autem Christi 1000 Imperator Fridericus Dominium Brunsvicense provexit in Ducatum, & *Ottonem* Brunsvici Dominum & Lüneburgi, Ducem creavit, Henrici Leonis successorem, qui generale Saxoniae habuit Dominium. Fridericus 11 *Ottonem* Leonis Nepotem fecit Ducem Brunsvicensem & Lüneburgensem, attributis ei armis, quae avus ejus extulerat Anglia, duobus fulvis Leonibus pro ditione Brunsvicensi & alium caerulei coloris Leonem, adjectis in clypeo maculis de terra Lüneburgensi, quae erant olim Hermanno Duci & posteris ejus, cum titulo Ducatus Saxoniae. De reliquis Ducibus videndus Munsterus lib. 111 Cosmographiae. *Brunsvicum* hodie non tantum hujus Ducatus, sed & totius Saxoniae Metropolis, quondam a Conditore *Brunopolis*. Ptol. *Tubisorgium* ex Francisci Irenici sententia: Vrbs ambitu magna, forma quadrata, aedium pulcherrimarum frequentia nitidissime culta: Civibus plena; Moenibus ac fossato duplici profundissimo, & aliquot in locis triplici, ac quolibet aquis stagnante, munita: Vallo etiam inter fossata crassissimo ducto per circuitum, variis Arborum confito generibus valida: quinque foris, quinque praetoriis, & totidem Magistratibus excellens. Condita est a duobus Fratribus Brunone ac Theodoro, alius Theomaro dicto, Ludolphi Ducis Saxoniae Filiis, anno 1000, ut eorum Historicus Hermannus testatur. Hanc urbem Onacra amnis perlabitur, qui in Hartonica Silva ortus, duas in partes Civitatem scindit, omnem immunditiam secum trahens, ac variis undique pontibus coopertus, Visurgi tandem conjungitur. Non habet Civitas aquam potabilem, sed fere bibunt Cerevisiam: Vini usus carior, ac rarior. Vrbs haec parvis orta initiis multas per tempora accessiones habuit, ut per vices amplificata, nunc in eas excreverit vires atque opes, ut facile Principibus suis titulum indiderint, qui inde Duces Brunsvicenses vocantur. Libet hoc loco, ea quae Curiae hujus urbis praefixa leguntur, ob frequentissimas hujus contentiosi seculi lites forenses, paucis subjungere. *In controversis causarum, capitales inimicitiae oriuntur: sit amissio expensarum: corpus quotidie a fatigatur, labor animi exercetur: Multa inhonesta crimina deinde consequuntur: Bona & utilia opera postponuntur: & qui sepe credunt obtinere, frequenter succumbunt. Et, si obtinent, computatis laboribus & expensis, nihil acquirunt.* Inter caeteras hujus Ducatus Civitates haud postrema quoque est *Goslar* civitas Imperialis. Hanc urbem *Henricus* 1 Pater magni *Ottonis* urbium amator in formam Civitatis erexit. Anno 1011 Imperator *Henricus* 111 ingentibus regni florens opibus, urbem istam mirifice ornavit, quam de parvo molendino, ut aiunt, vel de tugurio venatoris duo priores *Henrici*, & iste nunc 111 in tam magnam sicut hodie certum potest urbem bono provexere auspicio, in qua Regale Palatium hic Imp. magnifice exstruxit & 11 Omnipotenti Deo congregationes instituit, *Helmstedium* Opidum medio inter Brunsvicum & Magdeburgum itinere est: id *Guliel-*



id Gulielmus Dux Brunsvicensis a Werdenſi Abbate, cui parere Cives inſolentiores reſuſabant, certa pecuniaz ſumma Abbati numerata redemptum, in ſuam poteſtatem redegit. Munire id Opidum Carolus, Caroli Magni F. adverſus Sorabos & Vilſos bella gerens cœperat, idque S. Ludgero primo Epifcopo Monafterienſi tradiderat, ut in populis a Carolo ſubjugatis prædicanti, tutus receptus eſſet. *Halberſtadium* urbs Epifcopalis, Oltemia fl. perluitur. In hujus urbis medio extollitur tumulus ac collis: is duorum ſtadium habet longitudinem, ac in ſummo vertice latam amplamque planiciem, in cujus extremis angulis, bina ædificata Templum ſunt. In medio late patet forum ſplendidiffimis Canonorum ædibus undique cinctum: illa autem quæ in monte ſita ſunt Civitas ſeu Vrbs dicuntur, quæ ad montis pedem, ſuburbia vocantur. Eſt circa hanc Civitatem Ager optimus, ferax Triticij, matureſcentibus Frugibus, culmorum altitudinem equo inſidentem hominem ferunt excedere. *Quedelburga* Vrbs antiqua & primorum in Saxonia Principum decus, haud ita procul Magdeburgo diſtans, ab Imperatore Henrico Aucupe condita. *Hannovera* opidum ad ripam Leine fl. è regione vetuſtæ Arcis Comitum a Lauwenrod, jam Henrici Leonis ætate, circa annum Chriſti CIOCLVI cui (quod trans fl. ſitum eſſet aulici Hannover nomen dederunt) Arci ſubjectum fuit. Floret hoc tempore inter cætera Saxoniaz urbes. Aggeribus enim, muris & foſſis firmiter munita, & Civium bonorum ac fortium Virorum frequentia & ædificiis ſtipata eſt. *Hildeſheimium*, ſive *Hildeſium*, *Aſcalingium* Ptol. Irenico: Civitas antiqua: fuit antea duplex, poſtea utraque conjuncta, facta eſt unica, Templum ſummum inſigne habet, Turriſque ipſa tectum habet aureum. Civitas amœna, patria Ludolphi Colonienſis Mathematici peritiſſimi, qui nunc Lugduni agit in Batavis. Sedes eſt Epifcopalis: Irenicus iſtius loci Epifcopos receſſet, quod & Crantzius in ſua Metropoli, & paullo accuratius Antonius Monchiacinus lib. II de primis Chriſtiane Religionis initiis, præſtat. Fuit autem Epifcopatus Hildeſheimenſis primum in Saxonibus fundatus ac inſtitutus a Carolo Magno Galliarum Rege, ac Imperatore potentiſſimo. *Northauſen* Civitas Imperialis. Continentur etiam hac Tabula Ducatus *Grubenhagen*, qui eſt Membrum Imperii, & Principatus (*Furſtendom*) *Anholt*: item *Mansfeldia* Comitatus veteris Saxoniaz, ad amnem Salam antiquiſſimus, quum Hegenus qui tempore Arturi Britanniaz Regis floruit, anno DCXLII Comes Mansfeldicus fuiſſe perhibeatur: nomen ei a Manno Thuiſconis filio, ut Aſcaniaz vicinæ ab Aſcanes. Primariæ urbes ſunt *Mansfeldia*, ad Wiperum fl. *Eiſlebia* & *Wypra*. *Eiſlebia* Metropolis eſt, inter Salam & Wiperum: nomen creditur habere ab Iſide, quam Tacitus oras Suevicas poſt obitum Mariti peragraſſe, teſtis eſt. Iuxta eam ſunt Metalla in Montibus Melibocis. Loca iſta *Tubantes* coluiſſe exiſtimantur. Hi tamen *Twendt* Pyramio: Friſijs contermini: *Bentheim* Comitatus huic vicinus antiquum nomen referre credit Verrutius. Hos *Tubinger* exiſtimat Lazius Migrationum lib. VII. Comitatus ille ſub ſe habet Comitatus IV, *Wippram Arnſtein, Wetm, & Quernſurt*. Item Co. *Baby, Stolberg, Hohenſtein, Regenſtien, Pleſſe*, omnes Imperii. Continentur etiam Eccleſiaſtici Principatus hi: *Meyaburg* Archiepiſco & Primatus Germaniaz, Imp. eſt: & Epifcopatus *Hildeſheim, Halberſtat* ambo Imperii: ſubſunt Moguntino. Item *Quedelborch, & Germod, Sriſten* ſunt Imp. in VII Circulo.

Reſtat

EPISCOPAT MAGDEBURGENSIS.

421

Restat in hac Tabula *Episcopatus Magdeburgensis* titulo ipsius Tabulae nominatim comprehensus. *Epif-*
copatus Magdeburgensis, vulgo *Meydurg*, ab urbe primaria nomen habet. *Carolus Magnus* tota reformata *Episcopatus*
 Saxonia, decem Episcopatus in ea instituit, quorum omnium celeberrimus fuit *Magdeburgensis*, cujus sedes *Magdeburgensis*
 ex primitiva fundatione in Styde fuit, tum ad Valersleve, tertio in Vrese translata. Tandem per *Ottonem I.*
 anno *CCIXXXX* ad Magdeburgum mutata, ejusque auspicio in primatum Germaniae sublimata, ut habet ma-
 gnus Chronicorum codex anonymus. Quamquam tamen Saltzburgeris caeterique Archiepiscopi Electo-
 res, primam hanc dignitatem Antistiti Magdeburgensi non tribuant, ut Crantzius in Metropoli tradit. Mag-
 deburgensem autem Burggraviam constituit *Otto I.*, ut praeslet judiciis publicis & gubernationi publicae, lo-
 co Imperatoris, in his terris & in hoc Episcopatu, acceteris huic conjunctis. Primus hoc munus gessisse tradi-
 tur ordinatione *Ottonis Gero* Marchio Lusatae, cujus memoriam conservat Monumentum Ccenobii Gero-
 densis. Hunc sequuti memorantur hoc ordine aliqui, *Hermannus* Dux Saxoniae, *Lotharius* Comes de Wal-
 deck, *Friedericus* Lotharii Filius, *Comradus* ejusdem Nepos, *Manfredus* Conradi uterinus Frater. Hoc in pra-
 lio caso, dignitatem consequutus est *Disticus*, Comes Plocensis, cujus filiam cum duxisset *Udo* Marchio
 Brandenburgeris occupato Burggraviatu, successorem reliquit *Henricum* Filium. Eo facto functo *Lotharius*
 Saxo, idem munus commendavit *Burchardo* e familia Dominorum de Quetfort, a quibus est origo Comitum
 Mansfeldensium. Post hunc reperiuntur in ea dignitate fuisse constituti *Domini de Schrapela*, a quibus aucto-
 ritate *Rodolphi* Imperatoris, translata est in Duces Saxoniae Electores. Vrbs primaria *Magdeburgum* olim
Parthenopolis, a Venere Parthenia ibi culta, sita ad Albim fl. a *Ioanne Capnione Dmo adun Pygum* dictum, a
 Graeca voce. *Dmoades* enim puellas ancillares Graeci ferunt, quas per *Apharesin Maid* dicimus, & *πύργον Bur-*
gum, ut *πύργον Buxus*. *Aeneas Silvius* *Magdeburgensem* vocat, & *Virginopolim* Metropolitanam insignem urbem
 inter Saxones, opibus & auctoritate memorabilem, scribit. *Ligurinus* *Virginis Urbem* dixit, & *Virginum* ha-
 bitationem. *Ptol.* *μεσσίον* Hanc civitatem *Otto* condidit, ut scribit *Lupoldus*: auxit ibique requiescit, *Otto*
Frisingenfis. Inelyta haec urbs Imperatorumque honesta sedes, tres in partes dividitur, estque munita mœni-
 bus ac propugnaculis, turribus quoque ac fossis valida ac tuta, aedibus pulcherrimis, perpolitus plateis vicisque
 insignis, ac templis magnificis celebris. Imprimis vero nobile *D. Mauricii Fanum*, ex quadrato lapide stru-
 cturae magnificentia conspicuum, *Ottonum Caesarem* insigne opus. Magistratus jus civile Romanorum Saxo-
 nica lingua conscriptum, non sine reverentia custodit, quod *Caroli Magni* auctoritate firmatum tradunt, eoq;
 in decisione causarum vicinae gentes recurrunt: magna & venerabilis earum legum auctoritas habetur. Atque
 haec de *Magdeburgensi Episcopatu* sufficient. Caeterum ut huic descriptioni Colophonem imponamus, demus
 regionibus haec Tabula contentis suos amnes: Hi sunt *Albis Onacra, Oltemia, Sala, Wipernus, Indersf, Struma, Roide,*
Ruma, Yker, Fues, & alii. Non Montes desunt inter quos qui dicuntur *Der Ramelberg, Melibocus,* & alii: neque Sil-
 va, inter quas *Auff dem Hartz, Waldt, Solinger Woldt,* cum aliis, quas in ipsa Tabula cernere licet.

Episcopatus
Magdeburgensis
 & unde dicitur.
Imperium majorum.

Urbes.

Flumina.
Montes.
Silva.

G g g iij

Post